



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio XXXV. De Pacto Negativo, seu renuntiativo hæreditatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

Catholico, vel Ducibus Catholicis illorum malitia compefci potest & facrilegia prohiberi: vel hujusmodi mala Religionis præter intentionem & per accidens contingunt; cùm Princeps Catholicus solummodo intendat suam defensionem justam, vel justam juris sui recuperationem, à qua non tenetur desistere propter ea, quæ per accidens & præter intentionem eveniunt. *Correa lo. cit. n. 1422.*

Ita controversiam hanc decidit Timotheus, cujus decisionis probabilitati nihil derogatum volo, sed eam, quam habet, in medio relinquo. Interim ego multum inclino in sententiam Dianæ & Reiffenstuell, quæ Theologorum communis est, qui censent, nullam necessitatem temporalem, licet integræ provinciæ Catho-

lico Principi ab alio Catholico erigerentur, etiam bellò injustò, sufficientem esse causam, ut petat vel accipiat inuito fœdere auxilia ab Infidelibus aut Hæreticis, quando id cedit præjudicium vel periculum certæ Religionis Catholicæ, aut ad innovandam Religionem Catholicam, aut Hæresin verò aut Infidelitatem augendam, seu quando grave Religionis Catholicæ damnum aut præjudicium prævidetur, certò indè securum; quidquid Jurisperiti quidam, & Principum Consilarii sentiant, et quòd id nihil aliud videretur esse, quam extirpare vel oppugnare Religionem Catholicam, Hæresin verò aut Infidelitatem propugnare vel implantare, quod utique Juri Naturali repugnare



TITULUS XXXV.

De Pactis.

DECISIO XXXV.

De Pacto negativo, seu renuntiativo hæreditatis.

SPECIES FACTI.

Hector S. R. I. Comes antiquissimæ familiæ duas successivè uxores habuit: ex prima sustulit filium

Hermannum, & filiam Lucretiam: ex altera duos filios, Philippum & Ferdinandum, Lucretia Gualtero

Comiti nupta genuit filium Rudolphum, sed lite, quam super dote sua cum parente Hectore instituerat in iudicio, amicabiliter compositâ pactum consentiente Marito Gualtero, quo renuntiavit omni futuræ prætensioni, cum prædicto parente Hectore in iit in hæc verba: *quapropter etiam pro se & suis hæredibus faciunt* (Lucretia & Gualterus Maritus) *generalem remissionem & quietantiam præfato Illustrissimo Domino Comiti Hectori & c. & pactum perpetuum non petendi, querendi, aut prætendi: amplius rem ullam quocunque prætextu occasione supra dicta, uti neque ob*

ullam aliam prætensionem juris paterni, materni, fraterni, aviti aut collateralis, que sibi competeret, aut competere possit, quocunque modo aut tempore, idque sub fide illustri. Post aliquot ab ista renuntiatione annorum lapsum Hermanno fratri Germano absque omni prole demortuo succedere in defuncti bonis prætendit Rudolphus loco Lucretiæ matris interea pariter defunctæ, quem tamen exclusum volunt Lucretiæ fratres consanguinei, Philippus & Ferdinandus. Quapropter exarsit

QUÆSTIO.

An Rudolpho obsit prædictum Lucretiæ Matris Pactum renuntiativum?

Rationes Dubitandi.

Videtur, quòd non I. Quia pacta, quibus renuntiatur hæreditati nondum delatæ, improbantur & nullius roboris esse declarantur. l. 94. ff. de acquir. hered. l. fin. C. de Pactis. Et quamvis de Jure Canonico dicantur servanda esse, si adjiciatur juramentum. c. quamvis 2. de Pact. in 6. id tamen II. In præsentī casu non est adjectum, sed tantum promissio sub fide illustri roborata. Imò licet juramentum verum & formale accessisset, illud tamen non firmaret pactum de Jure Civili nullum ita, ut ex iustitia servandum foret, sed tantum

ipsum juramentum ex virtute Religionis stringeret, non verò pactum, utpote quod manet in sua infirmitate, uti docuimus in *Candidato ad tit. de Jurejur. g. ult.* Confirmatur: ad valorem & formam substantialem renuntiationis hæreditatis requiritur juramentum verum. per d. c. *quamvis* Bald. Panor. Natta, Befold. Mynf. Stryck de filia nob. renuntiante c. 3. n. 11. 12. qui subdit: *nullius in renuntiatione efficacæ sunt formule: Bey Adelichen Ehren und Treuen &c.* III. Omnes renuntiationes sunt strictæ interpretationis. l. 47. ff. de Pact. l. 21.

Z 3

l. 21. C. ad S. C. Velleianum. Carpzov. p. 2: *constit. 26. definit. 12. n. 6.* Vul-teius *Consil. Marburg. 17. n. 58.* atque in specie respectu foeminae renuntiantis hereditati. Knipschild *de Nobilit. l. 3. c. 12. n. 339. seqq.* cum multis à se allegatis, eò quòd sint odiosae; quapropter nihil in talem renuntiationem venire debet, quòd non est specialiter expressum. *l. quiddam adstringenda. 99. ff. de V. O. Cravetta conf. 202. n. 10.* nec de persona ad personam, nec de casu ad casum extendi illa debet. *l. 27. pr. §. 4. ff. de pact. l. 21. cit.* sed in renuntiatione praesentis nulla omnino fit mentio hereditatis vel successione: ergo ad hanc non est extendenda, consequenter succedet loco Lucretiae Rudolphus filius in bonis avunculi: eòque magis, quòd IV. Renuntiatio haec possit, & consequenter, cum ita sit accipienda, ut renuntianti quàm minimum afferat praedictum. *Cephal. Conf. 605. Mascard. concl. 1270. n. 4. §. 11. Befold. Conf. 171. n. 100.* debeat intelligi tantum de praetensione ex titulo dotis, super qua fuit litigatum & postea transactum, praesertim cum adjecta sint verba, occasione supra dicta, quibus se referunt renuntiantes ad causam dotis, ac insuper verba initialia Instrumenti transactionis vel compositionis sonent transactionem litem super causa dotis: cum igitur solum super dote, non verò de successione hereditaria, fuerit litigatum, etiam censetur tantum praetensioni in causa dotali renuntia-

tum esse, & salvum consistere jus hereditariae successione.

V. Juri, quòd nondum actu quaesitum vel delatum, renuntiatum quit. *arg. l. 19. ff. de acquir. her. l. 27. §. 1. ff. de legat. 3. Latè Bosca & Tabor in locis commun. l. c. 31. §. 3.* Sed jus ad hereditatem fratrem tempore renuntiationis nondum erat quaesitum vel delatum Lucretiae, sed tantum erat in spe incerta (nam licet spes liberorum quaesita hereditatem paternam sit certa, propterea huic spei à filiabus renuntiare hodiernis moribus possit, tamen hereditas fraterna, utpote non delata, est semper incerta, & idè renuntiationi non subiacet, per ea, quae addit Joannes Torre in amplo tractatu *de Pactis futurae successione l. 2. c. 59.* afferens, sic *arbitrari communi Interpretes.* VI. Certum est, quòd Lucretia tanquam soror germana defuncti Hermanni, de cujus hereditaria successione agitur, spectato Jure succedat sola ab intestato exclusis fratribus unilateralibus & ex secundo thoro progeneris, quales sunt Philippus & Ferdinandus. *Aub. Cessante cum duob. Reg. C. de legit. hered. Nov. 118. c. 3.* consequenter & Rudolphus jure repraesentationis: ergo etiam Rudolphus succedit exclusis fratribus Lucretiae consanguineis, Philippo & Ferdinando, non obstante facta renuntiatione; quae haec non censetur fieri in favorem fratrum unilateralium & ex altero thoro progeneratorum. Torre *d. l. 2. c. 12. specialiter*

caliter d. n. 15. eò quòd renuntiatio censetur fieri in favorem illorum, qui aliunde ex dispositione Juris Communi simul cum renuntiante succederent, non verò illorum, qui de Jure Communi sunt exclusi. Id quod confirmatur sic: in materia odiosa, qualis est renuntiatio, nomine fratris tantum venit utrinque & ex duplici vinculo conjunctus, seu Germanus. Angelus ad tit. 1. de legit. agnat. succ. unde renuntiatio fraternæ hereditatis in favorem fratris facta non se extendit ad fratrem uterinum, qui est unius tantum vinculi. Natta in d. c. quareris n. 292. de Pact. in 6. ergo nec Philippus & Ferdinandus, qui tantum sunt fratres unius vinculi respectu Lucretiæ renuntiantis, nihil favoris consequuntur ex ista renuntiatione, consequenter non succedunt.

VII. Ad renuntiationem hereditatis paternæ, maternæ, vel fraternæ requiruntur præsentia & consensus patris,

matris, vel fratris, cui fit renuntiatio. Belsold, in *Thesauvo pract. v. verzicht.* §. requiritur 4. Mynf. resp. 56. n. 19. segg. decad. 6. Knipschild n. 176. Stryck de filia Nobilitate ante c. 3. n. 4. ubi ait: non valide renuntiat Paternæ, Maternæ, & Fraternali hereditati, nisi & pater, & mater, fraterque consentiant: atqui ex instrumento renuntiationis Lucretiæ nec præsentia nec consensus fratris Hermanni probatur, imò absens, & fortè ignarus etiam renuntiationis fuisse, præsumitur inde, quòd cum solo patre, cum quo super dote fuit litigatum, totum negotium sit gestum. VIII. Lucretia non potuit præjudicare filio Rudolpho, jam tum existenti, quando facta est renuntiatio; eò quòd jus jam quæsitum habuerit ad omnia Matris jura, unde unde ipsi obventura: ergo ipsi non obfuit renuntiatio Matris in jure succedendi avunculo, seu fratri germano Matris.

Decisio & Rationes Decidendi.

Quidquid autem sit de hucusque allatis, quorum efficacia quanta sit, ex infra dicendis apparebit, contra Rudolphum pronuntio, eique in ordine ad succedendum in bonis Hermanni avunculi obesse pactum & renuntiationem matris Lucretiæ existimo.

Inducor ad sic sentiendum serè unico, at sanè solidò argumentò, quòd sic formo: Lucretia potuit, & voluit re-

nuntiare pro se & filio suo non tantum hereditati paternæ, sed etiam fraternæ: ergo renuntiavit actu, quia actu in Instrumento transactionis injit pactum de nihil amplius prætendendo: ergo, sicut ipsa, si esset superstes, nihil possèt prætere de hereditate fratris, ita nec filius Rudolphus, quem comprehendit renuntiatio materna. Quòd autem potuerit sic renuntiare, constat ex universali serè omni-

omnium regnorum & provinciarum Europæ recepta consuetudine, multis in locis etiam statuto confirmata, vicius Nobiles fæminæ, & Illustres filiæ solent, vel etiam debent, renuntiare hæreditati paternæ, aut maternæ etiam & fraternæ, assignata sibi dote competenti contentæ, idque in favorem fratrum & Masculorum hæredum, ut bona in agnatione seu in mascula stirpe conserventur ad conservandum & augendum familiæ splendorem & potentiam, quæ non conservatur in fæminis ac filiabus, utpote quæ per nuptias in alienam transeunt familiam, nomen familiæ suæ amittunt, atque, sicut familiæ initium sunt gignendo, ita nubendo aliis ejusdem sunt finis. l. 195. ff. de V. S. §. 5. ibi: *mulier familiæ suæ & caput & finis est.* Atque hanc consuetudinem vigere passim in Germania, unè in Bavaria, Suevia, Franconia, Saxonia, Hassia, Burgundia, item in Gallia, Italia, Sabaudia, imò & in Asia, Africâque, testis est allegatis aliis Knipschild lib. 3. cit. c. 12. n. 2. seqq. ubi solam Alsatiam excipit. Estque illa Juri Divino Numer. 27. §. 36. Josue 17. v. 4. consentanea, atque propter allatam rationem valde rationabilis, scilicet ob favorem familiæ in masculis conservandæ in majori flore & potentia; ut adeò, si existentibus masculis fæmina faciat renuntiationem, licet favor familiæ expressus non reperiatur, illa tamen non aliter, nisi in favorem & commodum masculorum, facta intelligatur. arg. l. 17. ff. de Legat. 1. Covarruv. in cit. c. *quamvis parte*

3. §. 3. n. 6. vers. quinto. Alex. Conf. 20. n. 6. vol. 1. Paris. Conf. 26. n. 1. 20. vol. 3. Roman. Conf. 16. n. 5. Chiosan. in Consuet. Burg. rubr. 7. §. 12. p. n. 6. seq. Belfold. Conf. 1. n. 39. Kellenberz de Renunt. q. 19. n. 11.

Quod autem voluerit Lucretia renuntiare tam pro se, quam pro filio, successioni etiam in hæreditate fraterna, patet abunde ex tenore instrumenti compositionis & pacti renuntiativi, sic sonantis: *pro se & suis Hæredibus faciant generalem remissionem, & quietantiam & sic pactum perpetuum non pretendendi amplius rem ullam occasione suprâ dictâ, u' neque ob aliam aliam præntensionem juris paterni, materni, NB. fraterni aviti, aut collateralis, quæ sibi competeret, aut competere possit, quocunque modo aut tempore.* Cùm igitur ea censeatur ellemens & voluntas pacifcentium & renuntiantium, quam verba in seculo communiter recepto sumpta indicant per l. 69. pr. ff. de Legat. III. c. 12. de decimis. atque verba clarè expriment, voluntatem & pactum nihil amplius petendi ob ullam præntensionem, quæ ipsi competere possit quocunque modo etiam quoad jus in bona fratris, dubitari non potest, quia per dictum pactum renuntiare voluerit Lucretia, & actu renuntiationem subscribendo instrumentum, etiam omnibus illis bonis, quæ à fratre quocunque modo, consequenter & titulo successioni hæreditariæ, præntendere aliquando aliàs potuisset; cùm verba generalia generaliter sint interpre-

ligenda & de omnibus speciebus sub genere contentis. l. 1. ff. de legat. praes. l. fin. ff. de auro, arg. Sc. legat. Iteque in specie docet laudatus Joannes Torre d. l. 2. c. 1. n. 50. nempe successorem comprehendi in renuntiatione, quae fit generaliter de bonis, quae in futurum competere possunt, licet successio in specie non exprimitur. Id ipsum repetit c. 2. n. 7. seq. & in Mantissa eidem tractatui sub-jectis c. 6. n. 2. 3. ubi Pasqualonus ait, esse casum indubitabilem, quod

recepta dote renuntiatum fuerit successioni futurae ab intestato, si in ipsa quietantia habeatur (uti planè hic habetur) litterale pactum de quidquam amplius non petendo de bonis paternis, maternis, vel fraternis; quod de sui natura abdicationem importat cujuscunque juris de futuro. Idem docet Kellenbetz q. 1. n. 9. seq. Stryck. lo. cit. c. 1. n. 13. Sc. c. 4. n. 3. Idem confirmat S. Rota Romana in decis. 333. n. 1. coram Buratt. Sc. in Recent. decis. 351. n. 2. part. 12.

Dissolvuntur Argumenta in contrarium.

Primum ruit ex ratione decidendi, ubi ostendimus, Juri Scripto communi serè ubique derogatum esse per oppositam consuetudinem passim receptam. Cui accedit in locò, quo facta est renuntiatio, speciale statutum, quod jubet hæreditates relinquere masculis.

Ad II. Ejusque confirmationem ajo: sicut consuetudo, vel statutum, plerisque in locis dat valorem renuntiationibus, ita etiam dat non juratis, vel saltem non formali juramento, sed tantum fide Nobili vel Illustri firmatis; nam juramentum ad ejusmodi renuntiationes invalidas aliquo modo firmandas requiritur à Jure Canonico, non verò ad validas, seu quas consuetudo vel statutum jam per se, & independentè à juramento facit subsistere: si verò juramentum formale adjiciatur actui valido, eum firmat in tantum, ut obligationi Justitiæ, quam

(R. P. Pichler Decisiones.)

parit talis actus vel pactum validum, superaddat obligationem Religionis. Quod verò vi consuetudinis passim receptæ sustineantur renuntiationes hæreditatis vel successions futuræ, si fiant sub fide sincera, vel sub fide Nobili, bey adelichen / gräflichen / fürstlichen Ehren / wahren Worten / trauen und glauben / an Ahd's = Statt / tradunt Fichardus Conf. 54. n. 2. 3. Dauth ad d. c. quamvis. n. 23. Goedd. 1. Marp. Conf. 27. n. 176. seq. Breulæus causa 3. c. 7. Weidenkopf conf. 48. n. 14. vol. 1. respons. variar. Bruneman. ad l. ult. ff. de suis Sc. legit. hered. n. 4. Stryckhius c. 2. n. 26. 27. Sc. c. 3. n. 15. qui ultimus locò ex adverso productò uti & alii, qui cum Natta Jas. Hartm. Pistor. Pruckman, Kellenbetz q. 3. per tot. id negant, intelligendi videntur solum in thesi & secundum Jus scriptum, non verò in hypothesi contrariæ consuetudinis; hæc

A a

hæc enim facit talem asseverationem *sub fide principali, generositatis, nobilitatis* &c. æquivalere vero & corporali juramento, atque in aliis contractibus passim æquivalere censetur, teste Knipschild *de Nobilitate l. 2. c. 2. n. 26. seqq.* allegatis innumeris, & praxi etiam Camera Imperialis. *arg. c. ad aures de his, que vi. c. pervenit de fidejuss.*

Ad III. Quamvis renuntiationes in thesi sint strictæ interpretationis, renuntiationes tamen juris ad futuram successionem & hæreditatem, quas faciunt foemina in favorem stemmatis ac familiae in Masculis conservandæ (licet fortè quoad personam renuntiantem sint strictæ) tamen quoad objectum & jura, quibus renuntiat, sunt lata interpretationis, utpote cedentes in bonum publicum, consequenter favorabiles; siquidem totius Reipublicæ interest, florem, vires, & dignitatem nobilium familiarum conservari & augeri. *l. 1. §. 13. de inspic. ventre.* Knipschild *l. 3. c. 12. n. 191. seq.* Proinde licet nulla in Pacto isto renuntiationis facta sit specifica mentio successionis vel hæreditatis, tamen ad istam est extendendum. Imò terminis æquivalentibus satis fuit expressa à renuntiante successio futura, partim cum renuntiatio fuerit generalis, quæ omnes species prætensionis futuræ complectitur, partim quia in specie jus ad bona fratris exprimit, quod vix aliud tum esse vel sperari poterat, quàm ad succedendum aliquando eidem ab intestato.

Ad IV. quod quidem non exiguum habet speciem, negatur & pernegatur quòd solum *in causa dotis* ulteriori prætensionem sit renuntiatum; siquidem una parte non solent foeminae renuntiare hæreditati, nisi quando agitur, & ipsis cavetur sufficienter de dote. *pe. c. quamvis de passis in 6.* sæpius citatum ex altera verò Lucretia cum marito suo pro se & hæredibus suis renuntians non se declaravit, puòd præcisè ulteriori dote, super qua fuit ligatum, renuntiet, sed insuper post verba, *occipite supra dicta*, quæ ad dotis causam videtur respicere, generaliter pacto prætensio adhuc renuntiavit omni prætensionem cuiusvis rei, & juris, quod ipsi in bonis paternis, maternis, & fraternis quocunque modo aut tempore competere possent; id quod evidenter non solum dotis causam, sed quamcunque aliam prætensionem designat. Id quod uberius indè clarescit, quòd dos valde ampla, ita ut majorem nullatenus prætereundere potuerit Lucretia, ei à patre tunc promissa, & postea soluta sit; & quòd renuntiatio etiam respiciat jus ad bona fratris & collateratum, à quibus utique dos non fuit debita Lucretia. Quamvis igitur super sola dote fuerit litigatum, renuntiatio tamen se etiam extendit ad alia, & ad quamcunque prætensionem, consequenter etiam ad id, quod titulò successionis aliquando posset prætendi.

Ad V. *N. Ma.* cujus falsitatem demonstrat invererata ferè omnium provinciarum consuetudo, vi cuius etiam hæreditati fraternæ, cuius tantum præbabat

ad illis & incerta datur spes, à foeminis illustribus renuntiare solet cum efficacia. Nec adversatur Barbosa & Tabor *loc. cit.* sed in *limitat. 1. § 2.* mox subjunctis favet. Pariter & Joan. Torre, ex adverso allegatus, ibidem non loquitur de hypotheli, in qua renuntiat filia hæreditati fratrum in favorem familiæ, quam renuntiationem approbant mores, sed ex auctoritate potest de successionebus *consanguineorum* valde incertis, *nec re, nec spe,* ut loquitur, competentibus, & quidem in respectu Jure Communi, quod per se improbat Renuntiationes futuræ successione generatim. Imò *cap. 2. seq. n. 7. seqq.* resolvit, etiam successione futuram posse esse objectum renuntiationis, cum sit vera spes probabilis.

Ad VI. C. *ant. N. Conf.* Nam renuntiatio filiarum Illustrum vi consuetudinis & statutorum fit principaliter in favorem familiæ, quæ quoad nomen & splendorem conservatur in Masculis, licet renuntians hanc causam finalem in instrumento non expresserit, uti supra dictum est: ergo se etiam extendit ad fratres unius lateris, scilicet ad fratres consanguineos, seu ex eodem cum filia renuntiante parte genitos; cum etiam in his conservetur nomen & splendor familiæ, consequenter & apud hos reperitur ratio & finis renuntiationis. Joannes Torre non loquitur de casu simili, sed loquitur de casu, ubi nondum existebat alterum Matrimonium, consequenter frater ex secundo Matrimonio genitus, proinde tali renuntians, tempore renuntiationis, neque cogitavit, neque curavit, cogitare poterat: at in præsentibus

casu jam fuit à patre contractum alterum Matrimonium, & jam actu ex nova conjuge suscitati filii, Philippus & Ferdinandus. Aliud est, si fratres unius vinculi tantum sunt uterini, seu ex eadem cum renuntiante geniti matre, cum in his non propagetur vel conservetur nomen & splendor familiæ. *l. 196. §. 1. ff. de V. S.* unde; sicut foeminam vel sororem non excludit à successione frater uterinus, ita si Lucretia Mater, defuncto patre, transisset ad secundas nuptias, atque ex his filii, fratres uterini Lucretiæ, nati fuissent, hujus renuntiatio his fratribus nihil profuisset; in quo casu non versamur.

Ad VII. Transeat, quòd frater non fuerit præsens, imò & quòd postea non resciverit renuntiationem sororis, adeoque propter ignorantiam non consenserit in renuntiationem successione futuræ in suis bonis, tamen & consuetudo, & statuta, suppleant præsentiam & consensum, ac utriusque necessitatem sustulere. Joannes Torre *l. 2. c. 11. n. 12. seqq. § n. 22. ad finem cum Rota Romana decis. 366. n. 1. 2. 3. coram Buratt.* objectus Strickius iterum non est ad rem, quia is *n. 5.* solummodo vult, renuntiationem absque consensu fratris factam in tantum non valere, ut fratri non censeatur adempta facultas sororem, non obstante renuntiatione, instituendi hæredem; quod nihil facit ad casum, quo hæreditas fratris defertur sorori renuntianti ab intestato. Dein idem Stryckius *c. 4. n. 47.* pro nobis sic docet: sufficit, si pater pro hæredibus renuntiationem

recepit; jam enim filiis omnibus prodest. *arg. l. 30. C. de fideicommissis*. Dixi initio, *transeat*; non enim est credibile, quod frater Hermannus ex post non resciverit renuntiationem à sorore factam; cui cum non sciatur contradixisse, eam suo consensu tacito ratificavit; cujusmodi ratihabitio secuta sufficeret. *Stryck. cit. c. 3. n. 36*. Adde, quod post decursum tanti temporis præsumptio foret, actum renuntiationis fuisse factum debite & valide, consequenter cum consensu fratris Hermannus expresso, imò & ipsius præsentia, si probaretur harum conditionum necessitas.

Ad VIII. *N. Ant.* nam ratio renuntiationis reperitur eadem tam in descendentes à foemina, quam in renuntiante foemina ipsa, nimirum propagatio stemmatis & conservatio familiaris in maribus, imò magis videntur exclusi descendentes, quam ipsa foemina vel mater renuntians: sicut exclusi ex alio capite à successione excludunt etiam descendentes ex se per

l. 1. ff. si quis aliq. test. prob. cum successor non debeat esse melior conditionis, quam antecessor. *l. 1. ff. de R. J. §. l. si viva §. nam licet de bon. matern.* Et hinc sicut hæritas regulariter non succedit in feudis, nec ex ea descendentes masculi. *Schrad. de Feud. c. 4. n. 3. Rosenthal de Feud. c. 7. concl. 32. n. 23.* Nec obstat quod Rudolphus jam existeret in rerum natura tempore renuntiationis, quia per hoc nondum habuit jus absolute quæsitum ad hæreditatem & avunculi, sed sub conditione tantum, si ea aliquando deferenda sit matri Lucretiæ, & ab hac ad ipsam transmittenda: cum igitur mater jam vivente renuntiaverit, sicut nec Rudolphus, qui tantum potest sperare hæreditatem ex jure matris, quo tamen ista se exiit renuntians; cum utique nemo plus in alium transferre possit, quam ipse habeat. *c. nemo 79. de R. J. in 6.*

